

Badische Landesbibliothek Karlsruhe


Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

**Dissertatio moralis de religione hominis secundum legem
naturae**

**Wernher, Johann Balthasar von
Götz, Johann Heinrich**

Lipsiae, 1698


urn:nbn:de:bsz:31-102660




Gym 211

Ex
BIBLIOTHECA
ILLUSTRIS
CAROLI HESYCHEI.

65720





Q. D. B. V.
DISSERTATIO MORALIS
DE
**RELIGIONE
HOMINIS**

secundum Legem Naturæ,

Quam

Indultu

Amplissimæ Facultatis Philosophicæ

sub PRÆSIDIO

DN.

M. JOH. BALTH. WERNHERI,

Rotenburgo-Franci

In celeberrima Lipsiensium Academia

ad d. 4. Junii A.O.R. M. DC. XCIX.

H. L. Q. C.

Placidæ Eruditorum ventilationi

submittit

JOH. HEINRICUS GÖTZIUS,
Vrat. Siles. Phil. & SS. Theol. Stud.

L I P S I Æ,


Imprimebat JOH. CHRISTOPH. BRANDENBURGER.

(1698)

6

10 an Gym 211

✓ 2



differt hoc
lis, qui fa
speciosa ha
tam insign
tes sunt.
culus; In
Practica.
tionem pr
affixenda
dam nobi
summe po
Quod tam
spectatis; t
bos inferi
inertis
an esse.
Do, ut qu
quosodo a

Noctua
famigeris



§. I.

Nostræ de DEO cognitioni verissima Lux à sacris literis existit. Sed enim propositum jam nobis est, colligere sparsas de hoc argumento in lumine naturæ scintillas. Cognitionis autem & Cultus Dei, quem Lex naturæ præscribit, nomine *Religionis Naturalis* venit. A qua tamen multum differt hodiernorum Naturalistarum, uti vocant, Religio naturalis, qui fanatici perverfas & impias quasque opiniones suas sub speciosa hac appellatione recondunt; flammis potius, quàm titulo tam insigni digniores. Veræ autem religionis naturalis duæ partes sunt. Una est: *Rectus de Deo sensus*. Altera: *Rectus in Deum cultus*; Inde & duplices occurrunt propositiones, Theoreticæ, & Practicæ. Hæ dicuntur, quæ actionem aliquam, vel actionis omissionem præscribunt, ut, *Deus est colendus, Deus non est blasphemiam afficiendus*. Illæ sunt, quæ non præscribunt operationem, sed quandam nobis de Deo notitiam suppeditant; quales sunt hæ: *Deus est summè potens, Deus providentiâ suâ divinâ hoc universum gubernat*. Quod tamen solum intelligendum est de Propositionibus formaliter spectatis; virtualiter enim omnes sunt practicæ; quatenus ex omnibus inferri potest conclusio formaliter practica; uti ex antè positis theoreticis sequitur, *Deum timendum, & in necessitatibus invocandum esse*. Est autem primum & præcipuum caput recti sensus de Deo, ut quis certus sit, & indubitanter cognoscat, *Deum existere*; quomodo autem id fiat, nunc videamus.

§. II.

Notitia existentie Divinæ triplex potissimum est, *insita, acquisita vulgaris, & acquisita exacta*. Insita de Deo notitia non est proprie

prie habitus ante usum rationis in homine existens, sed est potentia propinqua, homini connata ad actus cognoscendi DEum, & præcipue ejus existentiam immediatè eliciendos, quamprimum lumen rationis se exerere incipit, & termini fiunt noti. Vid. *Hülsemann. Prælect. ad Breviar. cap. I. & Museum Introd. c. II. XIX. p. 52. seqq.* Acquisita vulgaris dicitur, quæ insita non est, sed aliunde modo vulgari h. e. tali acquiritur, qui in quemvis etiam ex plebe demonstrationum apodicticarum vim aliàs non capientem cadit; & vel ex aliorum v. gr. Parentum, Præceptorum, Magistratùs, populique testificatione, vel ex inspectione creaturarum, per consequentiam quidem, sed facilem, & cuius, etiam illiterato, obviam acquiritur, vid. *B. Bayer. Compend. Theol. Positiv. Proleg. cap. I. §. X. lit. b.* Acquisita denique exquisita est, quæ per accuratiorem demonstrationem à Philosophis ex rebus creatis, tanquam effectibus divinis comparatur. *Mus. Introd. l. c. §. XXVI. seqq.* Demonstrandi autem ita exactè multiplices viæ sunt à Philosophis tritæ. Earum nos celeri pede non nisi præcipuas calcabimus. Prima via est *dependentia & connexionis causarum.* Nimirum quicquid existit, non est à se ipso; positivè scilicet, quasi sui ipsius productrix causa foret; id enim si esset, idem esset se ipso prius; cum non possit concipi causa aliqua producere effectum, nisi ea ante productionem effectùs quoad materiale præxtiterit. Esse autem seipso prius, est contradictio; quia aliquid eodem tempore esset, & non esset. Quòd si ergo accipiamus v. gr. corpus aliquod, id cum à se ipso non sit, erit ab aliqua causa, quæ itidem agnoscat causam, & hæc iterum, & sic longissimè progredi licebit. Dico autem, progressum hunc non fore in infinitum, sed deventuros nos tandem esse ad primam aliquam causam, quæ à nulla alia dependeat, sed quæ ipsa origo sit eorum omnium, quæ existunt. Id autem, si quis modò profundius aliquantò attendat, clarè & distinctè intelligitur. Sanè enim, si prima corporis alicujus causa infinite abesset; infinitum etiam spatium requireretur ad corpus hoc producendum; quod fieri aliter non potest. Quæ enim viâ ἀνάλογος alicujus corporis retrorsum it, eadem viâ ejus οὐράνης antrosium procedit; ex quo illud sequeretur absurdum, corpus hoc & cætera omnia nondum effecta esse, & infinitum adhuc spatium

spatium præterlabi debere, donec eorum productio ad finem adducatur.

§. III.

Altera est *via Motus*; cum enim, quicquid movetur, moveatur ab alio, necessum est, primus aliquis motor detur, à quo hæc omnia in motu suo dependeant. *Aristoteles* à motu alià quodammodo ratione demonstrat, idque hunc in modum; Cum deprehendamus varia accidentia, inde necesse est, etiam dentur substantiæ. Jam verò sunt; accidentia, quæ continuò ac semper sunt; ergo & substantia quædam semper est. Sunt autem, accidentia talia, motus & tempus, quod inde probatur; quia, si cœpisset tempus, prius & posterius fuisset, eo non existente; quod impossibile; Ex continua autem temporis existentia fluit etiam perpetua existentia motus; cum tempus sit numerus motus. Inde colligitur, dari substantiam, quæ per motum non cœperit, & perpetuo seu continuo motu moveatur, nimirum Cælum. Præsupponit deinde, quicquid movetur, moveri ab alio, & excludi progressum in infinitum; unde deducit, dari aliquod primum, quod movetur, & non ulterius ab alio moveatur. Et hoc primum, ait, æternum & unum esse, nimirum DEum. Quam demonstrandi existentiam divinam methodum miris modis extolli à multis apparet ex iis, quos citavit *Dominus Schmidius Theol. Natur. Posit. Pars. I. sect. I. §. VI. lit. b. p. 40.* At enim rectè alii hanc viam pro insufficienti habent; cum sic multa asserantur partim falsa, partim sine ratione. Falsum enim omnino est, accidentia, tempus & motum ab æterno esse; Utrumque enim cum productione hujus universi cœpit; Inane autem & sophisticum, quod ait, si cœperit tempus, eo prius & posterius esse debere. Accipitur enim *τὸ prius* non positivè, sed negativè, ut sensus sit: Antè non fuisse tempus, sed præter DEum nihil, seu, si mavis, æternitatem. Unde & collabitur demonstratio perpetuæ existentie motus, cum is nexum regulariter cum tempore habeat. Quòd ait; *quicquid movetur, moveri ab alio*, id sine vallo rationis ponit; nec absurditatem progressus in infinitum in deducendo motu ab alio, demonstrat. Meritò igitur huic demonstrationi non tantum, quantum alii contendunt, roboris in-

esse existimamus. Afferuntur præterea viæ idem demonstrandi quàm plurimæ, quas passim legere apud Philosophos licet. vid. *Theoph. Raynaud. Theol. Natur. dist. 5. quæst. 1. artic. 6. Celeberr. Dn. Sturmii Oculus Θεωρητικὸς c. 4. Mornaum de Veritate Religion. Christi. c. 1. p. 10. Scheurlin. Theol. Natur. pag. 32. seqq. Corn. Martini Compend. Theol. p. 62. seq. Drejerum Disputat. 16. Philos. Prima, inter quas communissimæ sunt, Via ex pulchritudine hujus universi, ex gradibus & perfectionibus rerum, contingentia ac necessitate, ab eo, quod est in homine, à creatura invisibili, à miraculis, à constanti & perpetuo omnium gentium consensu; quos modos prolixè & accuratè deductos. vid. apud suprâ citat. *Excellentiss. Dn. Schmidium Theol. Nat. P. 1. sect. 1. §. 6. in Not.**

§. IV.

Attingenda hic etiam breviter videtur via, quam insistit in demonstranda existentia DEI *Cartesius Medit. III.* & hunc in modum procedit; Primò præsupponendum, quod per se notum, nihil unquam contineri in effectu, quod non priùs in causa fuerit vel formaliter, vel virtualiter; id quod procedit non solum de entibus actualibus, sed & objectivis, sive quæ intellectui mediante conceptu aliquo objectivè repræsentantur; quamvis enim talis realitas objectiva debili valdè modo existat; non tamen est nihil, & hinc agnoscit & ipsum causam, in qua vel tale quid, quale à conceptu repræsentatur, formaliter existat, vel saltem facultas sit, quæ causa habilis ad talem effectum producendum est; quod utique satis evidens, & in expedito est. Jam ergo examinemus, unde realitas objectiva, quæ in conceptu de DEO occurrit, sit; Cùm DEum cogitat quis, etiam Atheus, repræsentat sibi substantiam summè potentem, infinitam, simplicissimam, immutabilem; Realitas ergo hæc objectiva cùm in me non sit, neque formaliter, neque eminenter; inde necessarium est, causam habeat à me diversam, in qua eadem existat, quæ erit DEus. Nec est, quòd excipias, realitatem objectivam nihil actuale esse, adeoque nec causam desiderare; Nam profectò, quamvis quod objectivè in intellectu est, non sit ens actuale, non tamen est nihil; & hinc ab aliqua causa descendit. Ais: Nullam talem realitatem objectivam in conceptu de DEO dati; cùm infiniti incapax

incapax humanus intellectus DEUM comprehendere non possit. Aliud autem est, comprehendere, aliud, clarè & distinctè rem percipere. Sanè enim cum cogitamus DEUM, velut in profundum mare intuemur, cujus quanvis nullos limites videamus, ejusdem tamen quod videmus, clarè & distinctè videmus. Neque hic Conceptus ex compositione perfectionum, quæ in creaturis deprehenduntur, existit; Nam sanè majorem in hac idea realitatem invenimus, quam in cujusvis alius creaturæ conceptu; & præcipuè inter perfectiones divinas occurrit nobis simplicitas summa, quæ uti omnem divisibilitatem excludit; ita nec compositionem admittit. Et in his sanè nihil absurdi video, utut multis secus videatur. In eo autem valdè errat *Cartesius*, quòd existimat, hanc ideam esse nobis innatam, ut esset tanquam nota artificis operi suo impressa. Actualis enim talis Conceptus qui ante usum rationis existere in homine possit; cum ipsum concipere rationis usum involvat? Res ergo huc potius redit; quòd DEUS nobis connasci fecerit potentiam proximam ad conceptum hunc de ipso, exerente se usu rationis, formandum, & inde ejus naturam quodammodo, & præcipuè existentiam cognoscendam. Igitur hætenus luculentis & invictis omnino argumentis ex solo naturæ Lumine petitis existentiam Numinis demonstravimus.

§. V.

Et hinc magnoperè miramur *Atheos*, qui hodiè magno numero in Gallia præcipuè, Belgio & Angliâ, imò, quod pejus dolendum, in ipso Ecclesia gremio consurgunt; fatui ardeliones, & nescio cujus sublimis Sapientiæ stultâ persuasione turgentis. Malignum generis humani Virus, quod ubi semel grassari cœpit, nihil integrum; inclinantur omnia, & certissimam perniciem publicæ salutis trahunt. Duplicis autem generis hi fatui; Nonnullos *Atheos* vocant *Præcticos*, qui scelestâ & Epicureâ vitâ suâ DEUM negant; qui nimirum ita vivunt, ac si nullus esset rerum humanarum summus arbiter, qui scelera mortalium vigili oculo observet, & qui suo in ea tempore gravi ultione animadversurus sit; sed in sordibus voluptatis, vitiorumque cœno, velut alto sopore oppressi hærent; præsentia intuentes, de futuro nihil, vel saltem non magnoperè solliciti.

soliciti. Et, heu miseriam! tales Athei etiam inter nos non infrequentes sunt; quibus labra Christiana, cor autem Epicureum est, & Diabolicum. Ab his diversi sunt, quos theoreticos appellant Atheos, qui non tam vita, quam doctrinâ existentiam Numinis malitiosè & stolidè eversum eunt; idque vel *directè* faciunt vel *indirectè*; unde & Atheismi Divisio abit in *Directum* & *Indirectum*. *Directus* dicitur, cum quis omnibus viribus & conatu se exuit omni cognitione DEI, omnesque de Novitiâ DEI sparsas in animo suo scintillas penitus exstinxit, talisque non ad certum solùm tempus, sed per omnem vitam permanet. Indirectè DEum negant, qui tales doctrinas proponunt, cum quibus commodè stare Numinis existentia non potest, ut puta si quis providentiâ Divinam neget, vel similes horrendas opiniones foveat. Cæterùm disquiri solet; *Asidentur Athei Theoretici seu Speculativi?* Et id rectè cum Theologis de directè talibus negamus. Nam si Atheus omne penitus lumen in se exstingvere, sibi que firmiter, nullum esse DEum persuadere, posset, ut nullum etiam Conscientiæ stimulum in contrarium sentiat, vix causa posset sufficiens dari, cur *ἀναπαλόγησι* dici possint. Atheos autem speculativos indirectè tales dari, satis certum est, & nostri hujus seculi detestanda exempla abundè edocent.

§. VI.

Cæterùm characteres, quibus Athei agnosci queant, præcipuos collegit Dn. *Schmid. Theol. Natural, P. I. Sect. I. §. VIII. lit. b.* & huc redeunt: Nimirum (1.) Solent negare, Divinâ providentiâ humana hæc volvi agique, sed æternâ & fatali necessitate omnia duci, & suum quæque ordinem immutabili lege percurrere, nugantur. Verùm ô deliri, quibus vel sola nobilissima humanæ voluntatis libertas aurem vellere, sui que erroris admonere debebat. (2.) Negant supernaturalia; miracula, quæ contigisse audiunt, traducunt, & apparitiones effectusque spirituum, & angores, cruciatusque conscientie non nisi ad errantis phantasiæ ludibria referunt; digni profectò, quibus, permittente Deo, satanas cerebrum perversum agitet, & helleboro probe expurget. (3.) Ministros verbi Divini contemnunt, & ludibrio habent; eorumque minima vitia extollunt, & pro gravissimis venditant; item scholas & Academias elevant, & qui in iis docent, tanquam

quam ineptos, & ab omni decore alienos vident. (4.) Si quos nov-
 runt Atheum, eum vel laudant, vel saltem excusant; & si donis qui-
 busdam à divina benignitate instructus esset, extollunt, quasi iis patia
 aut majora non essent. (5.) Argumenta Atheistica datà occasione
 vel insolubilia esse contendunt, vel ita frigide ad ea respondent, ut ap-
 pareat, ipsos responsioni suae non satis confidere. (6.) Homines ab
 omni metu abducere, & profundo securitatis somno opprimere la-
 borant. (7.) Actus externos religionis exerceant, sed, cum tutò licet,
 & inter suos versantur, pestilens virus effundunt, & quàm longè ab il-
 lis actibus animi sententia differat, declarant. (8.) Disputationes
 contra Atheismum iniquo animo ferunt, aut eas elevant, neque satis
 firmas & solidas esse, religiose contendunt. Et hinc facillè liquet, pu-
 niendos omnino graviter Atheos, idque ob duplicem rationem; (1.)
 Ob publicam salutem. (2.) Quia non mentis solius, sed quàm maxi-
 mè voluntatis etiam vitium Atheismus est. Publica sanè salus, stante
 tam execranda impietate, salva stare non potest, uti infra pluribus di-
 cetur. Et hinc, qui persuadere Orbi Atheismum vellet, is non solum
 omnia argumenta pro existentia Numinis militatà destruere, & plau-
 sibiliores rationes afferre, sed & prætereà quàm maximè ostendere de-
 beret, atheismo melius consultum iri terrarum orbi, quàm stante de
 existentia Dei inditâ apud omnes sententiâ. Cum vero horum nullum
 possibile sit fieri, inde æquitas & Justitia poenæ apparet, quæ pessimis
 his fatuis imponi solet. *Rusond. d. L. 1. c. 4. §. 2. O. H. & C.* Altera no-
 bis ratio est, quòd execranda talis persuasio non solum intellectus vi-
 tium est, sed quàm maximè voluntatis etiam. Cum enim in proclivi
 sit, Numinis existentiam cognoscere, pessima hæc voluntatis nuditas
 est, nolle paulùm attendere, & in tam nobili notitiâ se confirmare.

§. VII.

Et hinc valdè errat ipse Atheismi quoque suspodius *Habbesius*;
 quòd Atheos, imprudentiæ solummodò, non item injustitiæ reos ar-
 git, atque *Elam. d. Cive. cap. XIV. §. 19.* *Annotat. se legam aliquam,*
juxta quam injustitia damnare possit Atheos, & diligentissimè quæsi-
visse, & vehementer cupivisse, sed invenire potuisse nullam. At enim,
 cum religionis, imò totius juris Naturalis fundamentum sit, de Exi-
 stentia Numinis certum esse; inde liquet, necessariò etiam inter Le-

B

ges na-

gēs naturales existere talem, quæ existere Deum, cognoscere patiter
& credere imperet; quod nī ita esset, totum jus N. concideret; cūm
obligatio sine abeuratione à lege superioris intelligi non possit. Le-
ve est, quod ait: *Si quidem peccatum non sit, quod non sit contra ali-*
quam legem, neque lex ulla sit, qua non sit mandatum ejus, qui summum
imperium habet, neque quisquam summum Imperium habeat, quod
non sit ei nostro consensu delatum; quomodo peccare dicitur is, qui
vel non existere Deum, vel non gubernare mundum affirmaverit, vel
aliam contumeliam in eum evomuerit? Dices enim; se voluntatem
suaam Dei Voluntati nunquam subjecisse, ut quem ne esse quidem opi-
natus fuerit? Et quanquam opinio sua erronea esset, ideoque etiam
peccatum; numerandum tamen esse inter peccata imprudentia, sive igno-
rantia, quæ puniri jure non possunt. Oratio hac eò usque admitten-
da esse videtur, ut hujusmodi peccatum, quanquam sit maximum, dam-
nosissimumque, referri tamen debeat ad peccata imprudentia; sed ut
per imprudentiam aut ignorantiam excusandum sit, obscurum est. Pu-
nitur enim Atheus, sive à Deo immediatè sive à Regibus sub Deo consti-
tuta, non ut subditus punitur à rege, propterea quod leges non observa-
verit, sed ut hostis ab hoste, quod leges noluerit accipere, hoc est, jure Belli,
ut gigantes Θημυαζοι. Sanè enim, quamvis imperium humanum,
proficiscatur à consensu vel expresso vel tacito, id tamen locum in
imperio Divino non habet; id enim ut obliget, non desiderat creatu-
ræ consensum; cūm subjectionem & consequenter obligationem ad
parendum legibus ipsum Creationis s. productionis beneficium infe-
rat; ut adeò velit, nolit, creatura obedire teneatur præceptis Divinis;
quod si non facit, punitur ut transgressor legis, non verò ut hostis, sic
ut contendit Hobbesius. Neque patrocinantur ejus sententiæ Plal-
mi verba ab ipso adducta: Dixit insipiens in corde suo: Non est Deus.
Neque enim insipientia à Spir. S. malitiæ Voluntatis semper opponi-
tur; sed sæpe pro perversitate ac malitia accipitur. Et magna sanè in-
spicientia atque stultitia est, legi sibi positæ disconvenienter agere, & eo
ipso gravis pœnæ in transgressorem statuta se reum constituere. Illa
verò extremè omnia impia, cūm ita pergit: Quid autem Deum esse,
ratione naturali sciri posse dixerim, ita accipiendum est, non tanquam
omnes id scire posse putaverim; nisi quoniam ratione naturali, quam
propor-

proportionem habeat sphaera ad cylindrum, invenit Archimedes, ex eo sequi putat, quemvis ex vulgo idem invenire potuisse; Dico igitur, etsi ab aliquibus, Deum esse, lumine rationis sciri possit, tamen homines in voluptatibus vel divitiis, vel honoribus perquirenda continuè occupatos, item homines qui rectè ratiocinari non solent, vel non valent, vel non vultunt; denique insipientes, in quo numero athei sunt, scire id non posse. Quasi verò non difficilior multò, proportionem inter sphaeram & cylindrum invenire, quàm existentiam Numinis, utpote quæ in proclivi est. Quò enim aliàs illa Apostoli ad Rom. I. *Ἰὸ γινώσκοντες ἵνα θεὸς ᾖ* &c. Non hic profundà meditatione, aut magnis viribus ingenii opus; cùm & insita, ut supra ostendimus, de Deo noticia detur, & acquisita vulgaris, quæ in quemvis etiam ex plebe cadit.

§. IIX.

Neque verò sufficit, firmam animi persuasionem de existentia Numinis adesse; sed præterea requiritur, ut quis certò credat, universi hanc machinam ab eo productam esse. Quod ex lumine naturæ demonstrare est facile. Nulla enim res in hoc Universo est, quæ sit à se ipsa, nec positivè, quod per se patet; nec negativè, ut non ab alia seu improducta sit. Si enim non esset producta, esset necessestariò independens; si hoc, esset etiam summè potens, infinita, immutabilis; cùm omnia hac attributa cum independentia indivulso nexu cohæreant. Atqui hoc consequens est absurdum, cùm aliàs omnes hæ res tam imperfectæ, forent Dii, h. e. entia summè perfectæ; quæ manifesta est contradictio. Debere autem ens independens necessariò etiam esse summè potens, infinitum &c. haud difficulter constat; Quòd si enim tale non esset; appateret ergo in eo aliquis defectus; defectus autem dicit limitatam naturam; omnis autem limitatio talis agnoscit causam, à quâ proinde ens in suo esse processit; h. e. ens illud non foret independens, sed à causa illud ita limitante, h. e. à Deo dependeret. Caterùm nihil ferè frequentius, quàm ut ex Philosophorum ore audias, hoc vel illud ita *providam naturam* instituisse. Quæ locutio utique, si eam rectè æstimes, non satis commoda. Aut enim sub hæc voce intelligunt *naturam naturam*, ut barbarè cum barbaris scholasticis loquamur, h. e. hanc universi molem; & pudeat eos machinæ sensu & ratione destitutæ nobilissimos effectus

attribuere, quimentem & consilium præsupponunt; vel indignant
naturam naturantem, ut eadem Scholastici vocant, h. e. universi hu-
jus Auctorem, seu DEum; non satis aptum videtur, neglectâ planâ
& consuetâ voce DEI, substituere obscurum & ambiguum vocabu-
lum. *Conf. Pufend. d. O. H. & C. i. C. IV. §. 3.* Præterea in magno
errore versantur, qui sibi persvadent, DEum aliquid sensibile esse,
& sidera cumprimis; unde & apud gentes haud rarò divino astra cul-
tu afficiebantur, ut sol apud Persas. Quæ sententia indigna omni-
no homine, & cumprimis philosopho est. Ipsa enim, uti rectè mo-
net *Pufendorpius*, siderum substantia arguit, ea producta ab aliqua
causa esse. Nam si infecta essent, vel essent talia intuitu primarum
particularum, seu atomorum, ex quibus constant, vel ratione matè-
riæ secundæ & formæ quam ea nunc obtinere conspiciamus. Ab u-
traque parte absurda. Nam, si ponatur prius, non aliud solum se-
queretur, hæc universum ex atomorum concursu natum, quod in-
ceptè *Epicurus* olim, sed & hoc, tot fore Deos, quor essent tales par-
tes particule. Sin posterius statuatur, nulla ratio reddi potest, cur
sidera tam diversæ magnitudinis, & motus sint; neque potest intel-
ligi, quomodo cum constant ex minutis particulis inter se realiter
diversis, sine earum tamen actuali nexu existere coeperint. Malè
quoque ii videntur facere, qui DEum *mundi animam* appellant.
Accipitur enim hæc vox in duplici significato. Primum denotat par-
tem essentialem, matèriæ contradistinctam, quæ cum ea concur-
rit, ad compositum constituendum. Deinde etiam notat rerum
vim & efficaciam. In neutro autem significato locutio hæc satis com-
moda; Nam si in posteriore significato accipitur, eo vicio labo-
rat, quòd ipsa figurata est & metaphorica, cum suppetant voces
propriæ & perspicuæ. Prior autem significatio applicari hic nullo
modo potest; cum naturæ DEI repugnet, esse partem; Cum enim
Auctor universi sit, adeoque eo prior; intelligi non potest, quomò-
do ejus pars ulla ratione dici queat; & esse profectò effectus ita cau-
sa nobilior; cum sic præter suam causam, nimirum formam, etiam
materiam involveret. Et ex his dictis illud quoque facile est collige-
re. Mundum hunc non esse æternum; contradicant enim hæc di-
xisti sibi, productum esse, & tamen termino quam à parte ante, uti
loquun-

loquuntur, carere. Quicquid ergo causam habet, æternum non est; quamvis possit esse æviternum, quod fit in spiritibus creatis, qui quamvis coeperint, adeoque non sint æterni, sine tamen carebunt, & hinc sunt æviterni. *Conf. Veltkem. Insuper. Metaph. Part. Pr. c. 47. §. 4.*

§. IX.

Præterea tenendum, DEum mundum à se productum non negligere, sed suâ providentiâ gubernare. Quoad effectum enim, moralem, & socialitatis salutem nihil interest, utrum quis existentiam DEI neget, an ejus providentiâ in dubium vocet; Utroque enim casu corrumpit omnis Religio, humanæ societatis necessarium, vinculum. Demonstrari autem ex lumine naturæ providentiâ divina variis modis potest. Et primò quidem notabilis omnino est inclinatio, & quidam veluti ad eam credendam in homine instinctus. Quoties enim homo suum hæc de re meditatur; deprehendit, se velut pondere quodam inclinari ad eam partem, ut credat providentiâ; & quamvis se de facto ad contrarium nonnunquam deflectat, non tamen contrarios in se oriundos motus satis subigere potest. Et quò ictus illi quæso, & laniatis torquentis se Conscientiæ? An non indicant, per scelera commissa offensum eum, qui hæc humana curret, qui in legum suarum transgressores acriter animadvertat? Et sanè, cùm quilibet opifex naturali caritate & cura in suum opus feratur, qui summus rerum molitor & effector DEus possit suas creaturas negligere, tam mirabili artificio & stupendo ordine productas? Præcipuè cùm ipse & sapientissimus & summè potens, & optimus sit atque iustissimus; quæ ejus attributa ipsa providentiâ quoque manifestè arguunt.

§. X.

Allud etiam sentiendum, nihil DEO competere, & consequenter propriè de eo prædicari posse, quod aliquam imperfectionem, in suo formali involvat. Cùm enim concipi non possit DEus, nisi tanquam ens summè perfectum, inde liquet, perfectioni ipsius nihil addi aut demi posse, & proinde nihil ei perfectionis deesse. Et rectè sanè monet *Rufendorf. c. 1. §. 5.* id esse absurdum, creaturam, concipere sibi aliquam perfectionem posse, quæ in ejus & cetera-

eam rerum omnium causa & origine non insit. Quippe imperfe-
 ctio aestimari non potest, nisi cum aliqua perfectione, in qua illa
 non adsit, comparetur; cum autem res omnes, ut diximus, à DEO
 profluxerint, & effectus non possit sua causa esse nobilior; inde
 conceptus hujus impossibilitas apparet. Et sanè tam inexhaustus
 perfectionum veluti Oceanus in DEO est, ut pusilli ingenii nostri
 captum infinitis modis transcendant; & hic cavendum, ne quis in-
 temperanter nimis subtili acie animi sui ad eum scrutandum utatur.
 Cautè hinc, & non nisi cum veneratione agendum; cum de DEO et-
 iam vera dicere periculosum judicet *Rufinus in Exposit. symb. Apost.*
à priuc. ad quod eleganter commentatur *Lipsius Polit. L. 1. cap. II. n.*
8. Not Quid enim scias, inquit, an dicas verum? Circumcludis infini-
 tum & æternum illud, tu pusillo, tu mortalis. *Basilium audi Homil.*
22. τὸς ψυχῆς, inquit, *ὡς ἰσχυρὸς ἰσχυρὸς ἰσχυρὸς ἰσχυρὸς ἰσχυρὸς*
ἰσχυρὸς. Animi morbus est, male & superflue de DEO querere. Unde
 fuit, quod *Pufendorf. c. 1.* contendit, in exprimendis Attributis di-
 vinis terminis negativis potius, quam affirmativis, sive positivis u-
 tendum esse; & proinde DEO nihil finitum & determinatum tri-
 buendum; Est enim hæc insignis infirmitas, finem agnoscere & ter-
 minos, cum neget præcipuum attributorum divinarum, infinita-
 tem. Neque affirmandum temerè, nos comprehendere DEum vel
 ejus ideam adæquatè in facultate imaginativa seu phantasia, vel a-
 nimo concipere; Hoc enim foret, DEum limitare, ejusque perfe-
 ctiones angustis pusilli ingenii sui terminis includere. Nec est,
 quòd objicias, nos DEum infinitum dicere, & hinc ejus attributi
 conceptum animo complecti debere. Conceptus enim, quem de
 infinitate formamus, utut quadantenus sit positivus, majori tamen
 ex parte negativus est, & imbecillitatem angusti intellectus nostri
 arguit, qui omnes perfectiones divinas capere tanquam finitus non
 potest.

§. XI.

Præterea DEUS non rectè dicitur totum; cum totum agnoscat
 partes; partes autem habere, divisibilitatem, & consequenter infi-
 gnem imperfectionem arguit. Unde fuit, quòd DEUS (1.) non
 sit totum universale; Repugnat enim naturæ divinæ, tanquam sin-
 gularissimæ,

singularissimæ, genus esse aut speciem, & subjectivas, uti vocant, habere partes. (2.) Quod non sit *totum essentiale*, h. e. conflatum ex materia & forma; intercedit enim hic realis compositio, qualis in DEum, ens simplicissimum nulla cadit. Sed nec (3.) est *totum integrale*: Hoc enim desiderat partes integrantes, h. e. materiatas, & proinde extensionem habentes, qualem cum essentia divina stabulari non posse per se satis constat. Neque (4.) est *totum potestativum*. Potentiæ enim & Facultates, ex quibus hoc constat, realiter differunt, & haud rarò seorsim existere queunt; quod v. gr. in *iuribus Majestaticis* contingit. *vid. Boel. Instit. Pol. L. II. c. u. p. m. III.* Talem autem realem differentiam in DEO non habere locum, expeditæ veritatis est. Nec (5.) DEus est *totum, quod ex subiecto & accidente est compositum*. Nullum enim accidens in DEum cadit; sed quicquid in eo est, cum essentia ejus unum idemque est; cum secundum tritum Theologorum Canonem nihil sit in DEO, quod non sit ipse DEus. Nec denique (6.) est *totum ex natura & subsistentiâ compositum*; Quamvis enim in humanis fortasse natura à subsistentia realiter differre queat; secus tamen in DEO ob antè adductam rationem obtinet. Ulteriùs de DEO non rectè affirmatur, quod sit *in loco*; In loco enim esse nihil aliud est, quàm limitibus certi spatii circumscribi, quod de DEO infinito & omnipresente neququam affirmari potest. Sed tamen cum DEus sit ens actuale, necessum est, sit in aliquo *ubi*; Et hinc non est inanis differentia, quam vulgò constituunt; cum dicunt, DEum esse in aliquo *ubi*, seu *in repletivè*, quatenus nimirum omnia replet; quò ex Theologia revelatâ pertinet illud Jerem. XXIII. v. 14. *Cælum & terram ego impleo*, inquit *Dominus*. Spiritus autem creatos esse in *in definitivè*; Corpora autem *circumscriptivè*, seu ea esse propriè in loco, cuius limitibus determinentur, & circumscribantur. Ex eo, quod DEus non est propriè in loco, sequitur, eum non posse dici propriè quiescere; cum quies respectum dicat ad locum; nec moveri, ob rationem eandem. Motus enim in DEum non cadit. *Ille omnia movet immobilis; omnia quatiè inconcussus*, inquit *Lipsius Polit. L. I. cap. II. §. 7. N. praxitam motu sempiterno*. Sed id nempe capiendum de motu locali est; quòd si enim motus pro actu & vita sempiterna

terna

terna accipiatur; DEO haud dubie in proprio significato competit,
tanquam enti actualissimo & aeterno. Caterum quae de motu locali
sacra litterae dicunt, commodè per *ab ipso motu dicitur* quaedam, aut
ex vna causa dicitur explicari queunt.

§. XII.

Sed nec illa DEO attribui merentur, quae passionem aut dolo-
rem inferunt; cum omnis passio imperfectionem in patiente arguat,
et proinde affectus, qui in sua natura seu formaliter imperfectionem
neque involvunt, DEO non competunt, scilicet propter; si autem
ipsi attribuantur, id fit imperio prius & *ab ipso motu dicitur*, h. e. tribuntur
DEO ob similitudinem effectuum, qui ab ipso fiunt, cum iis,
qui ab hominibus talibus affectibus laborante proficiuntur, seu, quod
eodem modo, competunt DEO effectivè, non autem ratione effi-
cientiae, seu quatenus materialiter in suo objecto passionem impos-
sunt. Inter exempla à *Puffendorfio* c. l. subiecta, est (1) *Insuper* quatenus sua
formali imperfectionem involvunt; Uti enim communiter definitur,
est vindicta, ob illatam injuriam cupiditas cum effervescentia sine
guanis in corde; In qua definitio non cum materiali, tunc formale irae
exprimitur. Quando ergo ira DEO tribuitur, id fit *ab ipso motu dicitur*
intuitu effectuum à DEO procedentium, qui similes sunt iis, quae ab
hominibus iratis proficiuntur. (2) *Poenitentia* quae iisdem con-
cipi sine imperfectione non potest. Est enim nihil aliud, quam do-
lor ex agnitione commissi erroris ortus, conjunctus cum voluntate,
factum, si fieri posset, insectum reddendi. (3) *Poenitentia*, c. l. huc refere-
re *Misericordiam*, sed minus aptè, ut mihi quidem videtur. Neque
enim haec formaliter imperfectionem in subiecto arguit. Generali-
ter quippe & abstractè ea considerata nihil aliud est, quam Voluntas
misero alicui subveniendi. Quod autem misericordia materialiter
in subiecto compassionem quandam, si ita loqui liceat, adeoque mu-
tationem inhiat, id ad DEum non pertinet, neque in formali ejus
continentur. Rectius ergo ea à Theologis & praecipue scriptoribus
Theologiae Naturalis refertur inter eos affectus, qui propriè DEO
competunt. Item DEO attribui non possunt propriè affectus, qui
absentiam alicujus boni aut imperfectionem aliam in suo formali
conceptu involvunt; quod pertinet *ad ipso motu dicitur*; is enim respicit bonum
absens

absens & ...
cupissem ...
proxi ...
affectibus ...
imperfectionem ...
cum quis ...
non esse ...
veniat; ...
hi tamen ...
aliter ...
dicitur ...
significatu ...
quae ante ...
volentiam ...
nimirum ...
hoc enim ...
pariter & ...
ita.

Præter
& actus ...
dicuntur ...
perari ...
pcionem ...
ne actus ...
fecus; ibi ...
longè emi ...
differunt; ...
si. Non ...
inhomine ...
par à ratio ...
materialis ...
circumstan ...
post. Vo ...
tina, qua

absens & appetibile; *spes*, cum quis bonum absens expectat; *Cupiscentia*, cum quis objectum impetu vehementi appetit; *amor cupidinis* s. *delectatio* ex ipsa cupiditate oriunda; Neque enim de his affectibus ullo modo conceptus formari potest, qui non involvat imperfectionem. Referruntur huc possunt etiam affectus alii; *desperatio*, cum quis sibi cum dolore persuadet, se concupitum bonum adepturum non esse; *metus*, quando quis timet, ne malum aliquod ipsi eveniat; *invidia*, quæ consistit in cruciatu ob alterius res secundas, sibi tamen haud nocentes; & denique *ἡδονή*, seu lætitia ex alterius rebus adversis concepta. Qui affectus omnes in DEUM cadere proprie non possunt. Sed dantur tamen alii, qui in proprio significato DEO attribui possunt; inter quos & misericordia est, de qua ante, & amor, tanquam misericordiae genus; Is enim in benevolentiam & misericordiam dispescitur; item gaudium, quo sibi nimirum ob suas perfectiones summas DEUS perplacet; & odium; hoc enim nihil aliud in DEO dicit, quam aversionem impietatis pariter & impii, unde & duplex est odium *abominationis* & *inimicitiae*.

§. XIII.

Præterea rectè notat *Pufendorf*. quòd, cum DEO intellectum, & actus sensuum tribuimus, id non fiat eo sensu, quo de hominibus dicuntur. Ita enim intellectus in homine passionem infert; cum operari sine speciebus per sensuum organa receptis non possit; receptionem autem istam passionem inferre, satis constat. Item in homine actus intelligendi à se invicem realiter differunt; quod in DEO fecus; ibi enim & passio omnis abest, & actus intelligendi modo longè eminentiori concipiendi, nec inter se, nec ab ipsa facultate differunt; uti facultas intelligendi ab essentiâ divinâ non est diversa. Non minor disparitas in Voluntate deprehenditur. Ea enim in homine nihil aliud est, quàm appetitus rationalis, h. e. quæ dirigitur à ratione, & iudicio intellectus, ad differentiam appetitus irrationalis in brutis; cum ergo appetitus sit voluntas, liquet, eam, circa bonum versari quo eget; quod de DEO neuriquam prædicari potest. Voluntas ergo divina nihil aliud est, quàm ipsa essentia divina, quatenus concipitur per modum potentiae appetitivæ, quæ

Stehen 4 vltim

C

tendit

tendit ad volendum bonum & averſandum malum ab intellectu oſtenſum. Dividi ea communiter ſolet in Voluntatem *naturalem* & *liberam*; illa dicitur, qua ſeipſum DEus vult; eſt enim DEus ob ſummam ſui perfectionem haud dubiè primarium voluntatis ſuæ objectum. *Liberam* autem eſt, quâ DEus ita aliquid vult, ut poſſit etiam non velle; Quo modo DEus in omnes creaturas fertur; neque enim eæ neceſſariam habitudinem ad divinam voluntatem important. Voluntas DEI libera eſt ruruſus vel *efficax*, quâ DEus aliquid vult ut ipſo actu efficiendam, vel *inefficax*, quâ DEO aliquid placet in ſe, ita tamen, ut nolit ipſo id actu produci; qualis tamen voluntas in DEum cadere non videtur. Efficax ruruſus abit tum in *antecedentem*, quâ DEus aliquid ſine reſpectu ad circumſtantias vult, & *conſequentem*, quâ, poſitis circumſtantiis, in objectum fertur; tum in *abſolutam*, quâ aliquid vult ſimpliciter & ſine ullâ conditione, & *hypotheticam* ſeu conditionatam, quâ aliquid cum conditione vult. Nota etiam Diviſio voluntatis divinæ in *ſigni* & *beneplaciti*; illa eſt nihil aliud, quàm effectus aut objectum voluntatis divinæ; Hæc verò dicitur, ipſa interna DEI voluntas, quâ in objectum fertur. Unde hæc propriè, illa impropriè Voluntas dicitur, malè autem hanc diſtinctionem à Reformatis adplicari, Theologi demonſtrârunt.

§. XIV.

Scientia DEI itidem multum ab humanâ differt. In homine enim præſupponit antecedentem ignorantiam, & ejuſ acquiſitio importat paſſionem. In DEO autem ſcientia ſublimiori longè modo exiſtit ab omni imperfectione libera; quatenus nimirum DEus cum ſe, tum omnes res alias ſine Diſcurſu aut ſpecie intelligibili per ſe & immediatè cognoscit. Et eſt ea vel *naturalis*, quâ ſeipſum DEus cognoscit, quæ Cognitio velut *ἀρχή* eſt, juxta quam creaturatum, tanquam *ἐκ* conformanda; & cæteras res omnes ut merè poſſibiles, ſive quatenus produci queunt; & *libera*, quâ DEus ab æterno cognoscit res, tanquam certò ob factam ab ipſo determinationem & decretum in tempore futuras. Quibus addunt *ſcientiam DEI mediam*, quæ pro objecto habet futura conditionata, ſive intermeram poſſibilitatem, & certam exiſtentiam intermedia. *Sensus* cum DEO tribuuntur, item *membra*, id ſine dubio impropriè, vel

analo-

analogicè intelligendum est; quatenus per ea Attributa divina pro imbecillitate nostra exprimimus. Examinat etiam *Pufendorf. s. l.* An possibilis sit pluralitas Deorum; & id rectè negat. Cùm enim DEUS concipi non possit, nisi tanquam Ens summè potens, summè sapiens &c. intelligi non potest, quomodo præter unum tale Ens, adhuc aliud existere possit; cùm & aliàs in eodem genere duo aut plura summa dari repugnet. Accedit, quòd per infinitum in DEO nihil aliud concipiamus, quàm, nihil in rerum natura existere, juxta quòd mensurari perfectiones divinæ possint. Contradictio proinde foret; duos infinitos, sive Deos dicere, cùm unus alterum absolutà necessitate excludat. Atque ex his quæ dicta sunt, concludit laudatus Autor, in exprimendis attributis divinis utendum esse terminis *negativis*, quibus non tam exprimimus, quid sit DEUS, quòd capere non possumus, quàm quid non sit; vel *superlativis*, quibus inuimus, nos majus quid eo, aut perfectius mente complecti non posse, vel denique *indefinitis*, quibus certum perfectionum in DEO existentium gradum non determinamus, quòd & intellectus nostri captum exuperat. Excluditur proinde hîc stolidi nonnullorum acticulorum intemperantia, qui ita perpetuò inani subtilitate suâ infinitum illud circumludunt, ejusqve contemplationi inhaerent, qualiter tandem exhaurire illud, sui que ingenii limitibus circumscribere possint. Satius enim longè est, immensum illud devoto silentio, & tacità mentis veneratione mirari, quàm superfluo imbecillis ingenii acumine rimari.

§ XV.

Rectus in DEUM cultus, quem respiciunt potissimùm propositiones practicae, nihil aliud est, quàm *cogniti Numinis veneratio certis legibus Naturalis Juris definita*. Colitur autem DEUS duplici cultu, interno & externo. Ille est, qui in animo & ex animo DEO vero preces concipit, laudes, grates. Hic autem, externus nimirum, est, qui eadem per gestus & signa exprimit. vid. *Lips. Polit. L. I. c. III. §. 1. 2.* Conf. *Museum Introd. in Theol. cap. 2.* Fundamentum autem concipiendarum precum, laudum & gratiarum est honor; qui est nihil aliud, quàm æstimatio alterius, seu opinio alienæ potentia conjunctæ cum bonitate; & hic honor non in honorato, sed hono-

gante est. Honor autem post se trahit (1.) *amorem*, qui ex opinione bonitatis nascitur, cum aliquem clementem, benevolum, & erga nos bene affectum novimus; quæ aliàs bonitas respectiva audit; vid. Schmid. Theol. Nat. Posit. P. III. §. 8. quod cum de DEO constet, inde merito in eum ardentissimo amore ferimur. (2.) *Spem*, quæ requirit utriusque, potentia & bonitatis alienæ opinionem, secus atque vult Hobbes. d. Civ. Relig. cap. 15. §. 9. ubi eam ad solam bonitatem refert. (3.) *Acquiescentiam* in Voluntate divinâ, quam novimus optimam. (4.) *Timorem*, qui nasci in nobis debet ex contemplatione potentia immensæ DEI; habitus autem simul ad Bonitatem divinam respectus efficit, quo minus timor hic servilis sit, cum odio & aversione animi conjunctus; qualis est in servis erga Dominos; sed filialis, qualis est piorum liberorum in Parentes. Aristot. I. Oeconom. VI. Prior ille, servilem dico, in superstitione plerumque inest; à quâ eò diligentius cavendum nobis, quò ad eam naturæ vitio proniores sumus. Lips. Pol. L. I. c. III. §. 10. ii præcipue, qui famine imbecillisque naturæ sunt. Nihil eâ pejus, aut libero altoque animo indignius; nunquam enim, qui eâ est imbutus, quietus esse potest. Cic. d. Finibus 1. 48. 4. Conf. Senec. Epist. 123. Plutarch. Camill. c. 10. (5.) *Obsequium*, internum scilicet illud, quod in submissione devotâ voluntatis nostræ facta Voluntati Divinæ consistit; idque intuitu potentia divinæ & bonitatis, quam nostri productione, gubernatione universi, aliisque beneficiis declarat.

§. XVI.

Externæ actiones, quibus versamur circa DEum, debent esse signa honoris, quem DEO internè exhibemus; Unde sequitur, Deo (1.) agendas gratias; Gratiarum actio enim sequitur beneficium acceptum; à DEO autem, tanquam omnis boni fonte, continuo uberrimi gratia & beneficiorum velut rivi ad nos eunt. Dic, quæso; quid, aut ubi olim eras? Et qualis jam verò? Ingrate; meditare probe, & mirare; Ex nihilo te in lucem hanc deduxit DEUS, quam aspicias; nec plus quàm aspicias? Bone DEUS! Nonne vides; in pristinum te nihilum relabi posse; Tu enim, qui jam es, habesne vim efficiendi, ut paulò post existas? Nec enim sequitur ex eo, quòd paulò antè fueris, te nunc debere esse; nisi aliqua causa te quasi rursus creet,

creet, seu sistat noviter ad hoc momentum, h. e. conservet; *Ren. des Cartes Medit. d. Prima Philos. III. p. m. 23.* Quæ beneficia si commentaris tecum; quæ tu DEO grates? quas saltem beneficiis rependas esse, saniores docuere omnes. *Schmid. Theol. Natur. Post. P. III. §. 14.* (2.) Obsequendum voluntati divinæ; tum quòd scimus, DEum etiam ab invito obsequium extorquere posse; tum quòd eum ob bonitatem suam nihil mali nobis præcipere posse, certi sumus. (3.) ut homo admiretur ejus magnitudinem; idq̄ve ob summas ejus perfectiones, à quarum opinione admiratio proficiscitur. (4.) Ut precibus imploretur, propter ejus summam potentiam, quâ nos juvare potest, & bonitatem, quâ miseris auxiliari vult. Quòd si non præsto est, quod petis, semper; cogita; fortasse petiisse te, quod vero nomine pœna, non honor est. (5.) Si jurandum sit, per solum DEum juret. Juramentum enim est in eum calum, quo quis sefellerit, imprecatio contra se ipsum iræ illius, qui scrutari corda & punire quantumvis potentem posuit. Utrumque autem in solum DEum cadit. Nam si quis alius id posset, non juramento, sed nudâ promissione opus foret; sed & ob easdem rationes juramentum est religiosè servandum; quòd *καρδιογνώστης* DEUS, & scit, an fallamus, & malitiam ulcisci potest; sed & vult ob suam justitiam. (6.) Circumspectè & consideratè de DEO facienda est mentio; quòd is est ens summè potens, adeoq̄ve profundâ veneratione prosequendum. Unde fluit, non usurpandum esse nomen DEI temerè, & in re nullius momenti; utrumque enim inconsideratum est; neque jurandum, cum non est opus. Duobus autem casibus opus est. Primò cum res inter Majestates, seu summas Potestates agitur, ubi sæpe certamen violentum evitari, & res juramento expediri potest. Deinde in judiciis, ut rerum certitudo eruatur; quod tamen nonnisi tum faciendum, cum Veritas aliter haberi non potest; Quoties igitur probatio per documenta, aut testes, aut simile medium fieri potest, toties ad hoc subsidiarium medium non est confugiendum. Item inde sequitur, in verbis & questionibus de DEO non nimis prurendum esse; est enim hæc intemperantia ingenii, DEum quasi suis limitibus circumscribere volentis, adeoq̄ve summè vitiosa. Præterea, ut, quicumque cultus DEO exhibetur, is in suo genere sit eximius; id enim

ejus magnitudo & summa perfectio desiderat. Unde, si rem juxta solum naturæ lumen exigamus, oratio, quæ erga DEum utimur, non levis, aut properata nimis esse debet, sed modesta, & apto ordine, coherens. Cœterùm ex Theologia revelata novimus, DEO nihil gratius esse, quàm miseri peccatoris suspiria interrupta, & veri motus cordis, quibuscunqve tandem verbis exprimantur; Denique, ut DEus non solum secretò, sed & publicè & in aliorum conspectu colatur; idqve potissimum propterea: ut alii nostro exemplo ad honorem DEO exhibendum incitentur; Et si præterea ceremonia quædam in se indifferentes legibus præcepta fuerint; eæ haud negligenda sunt; nec patrius mos contumaciter repudiandus; Cic. d. Div. l. 2. c. 33. (7.) Id omnibus viribus agendum, ut, quantum fieri potest, conformiter legibus naturalibus vivatur; cùm à miseris & imbecillibus creaturis nihil DEO gratius præstari queat, quàm si ejus leges religiosè observentur; Atqve ita tandem habendum: Cultum DEI esse optimum, eundemqve castissimum, atqve sanctissimum, ut eum semper purâ, integrâ, incorruptâ & mente & voce venereris. Cic. d. Nat. Deor. 2. 28.

§. XVII.

Religionis Naturalis finis primarius, ex intentione DEI est cultus suus à creatura rationali debitus, secundarius autem socialitatis salus. Et in statu quidem integritatis, qui nobis ex solâ Revelatione notus, homo per religionem naturalem beatitudinem æternam consequi potuisset. Nunc autem in statu corruptionis, cùm in seipsum descendit, atque cognitionis de DEO sibi inexistentis finem scrutatur, statim ipsi occurrit socialitatis salus, quam certò & infallibiliter, per cultum divinum promoveri, evidenter videt; ad aliam autem vitam consequendam, eam facere, non liquidò cognoscit; sed tamen cùm valdè ipsi videatur probabile, & animam humanam immortalem esse, & aliam post hanc vitam sperandam, in quâ bonis benè, malis autem malè sit futurum; inde Religionis Naturalis effectus pædagogicus emergit; quòd nimirum homo eâ mediante, duci ad Theologiam revelatam & salutarem debet: uti B. Dn. ALBERTI in Compend. J. N. passim graviter & accuratè demonstrat. Interim cùm in disciplina J. N. non ad probabilia, sed ad ea, quæ certò & evidenter

evidenter ab omnibus gentibus cognoscuntur, attendendum sit; inde non malè fecit *Pufendorfius*, quòd Religionis Nat. effectum intra hujus vitæ sphaeram conclusit; & sic videntur quodammodo conciliari posse, quæ ipse habet *d. Off. Hom. & Civ. L. I. C. IV. §. præcipuè §. cum iis*, quæ hæc de re passim Theologi.

§. XIII.

Neque etiam dici potest, quicquam Religione Naturali præcipi, quod Theologiæ revelatæ repugnet. Nec enim est nisi una Veritas; Ultraque Theologia à Veritatis fonte DEO, qui ob summam sapientiam & veracitatem de eodem objecto contraria pronunciarè non potest. Quamvis illud fatendum sit, hominem, utut Religione Naturali imbutum, tamen objecta Theologiæ revelatæ propria non assequi, quæ tamen propterea haud negat, sed eorum potiùs veritatem doceri plenius vehementer cupit. Vid. *Grauer. d. Univ. Verit. & Mus. Introd. P. II. c. II. §. 6. & cap. V. §. 12. B. Baj. Theol. Posit. Proleg. cap. I. §. 9. lit. c.*

§. XIX.

Religionis autem magna vis in mentes humanas est. Hoc vinculo eæ colligantur, huic tanquam basi & firmissimo fundamento innititur socialitatis salus. *Omnia prospera eveniunt colentibus Deos, adversa spernentibus*, *Livii*, lactei scriptoris verba sunt; *5. 51. 7. Religio & timor DEI solus est, qui custodit hominum inter se societatem*, inquit *Lactant. de Ira lib. I. c. 12.* Et *Plin L. 14. Histor. Nat. cap. 19. 1. Religione vitam constare ait. Cic. in Verr. cap. 59. 2. Omnes, inquit, religione moventur, & Deos Patrios, quos à Majoribus acceperunt, colendos sibi diligenter & retinendos arbitrantur.* Cumulari hic multa Sapientum dicta possent; sed quid iis opus? Si dubitas, fidem habere verbis; Percurre quæso hoc universum, aut, si mavis, historiarum annales excute; an unquam aut usquam stetit Respubl. sine aliquâ Religionis specie? Sed enim, ut eò clariùs appareat, quàm insignia ex religione commoda ad societatem humanam perveniant, age, consideremus cum *Pufendorffio d. Off. Hom. & C. L. I. c. IV. §. ult.* hominem quoad duplicem statum, naturalem & civilem. In naturali statu dicuntur vivere, qui ad se invicem spectati nec imperantes, nec parentes sunt, neque proinde ipsi in alicujus imperium

imperium concesserant; Quem statum naturalem hodiè repræsentant Mijestates seu Imperantes ad se invicem considerati, qui proinde etiam juribus ad talem statum pertinentibus reguntur. In hoc ergo naturali statu, si removeas omnem Numinis metum; quisque rebus alterius licitè inhiaret, eum pro lubitu insidiis, aut modo alio aggrediretur; nulla denique promissis fides esset, sed pro arbitrio suo ab iis homo recedere posset; Neque enim regula illa: *Fides est servanda*, vim legis obtineret, ob deficientem idoneum ejus auctorem. Sed nec major securitas in statu civili; Neque enim vinculo religionis deficiente, aut imperantes à subditis tuti, aut hi inter se invicem. Ut enim in officio manerent, solius temporalis pœnæ metus non sufficeret; cùm sæpe vindictæ, aut alius boni apparentis cupiditate, ipsa vita vilis futura esset. Fides autem imperantibus data propterea à malo cives non retraheret, quòd ad eam servandam nulla valida & efficax obligatio adesset. Tum ergo qui vitam contemneret suam, Dominus vitæ imperantis esset, cùm supra mortem nihil metuendum esset; Dari autem tales homines, qui ad sui usque contemptum perveniunt, experientiâ satis constat. Causam autem, cur quis imperanti nocere vellet, & occasionem non defuturam esse *Pufendorf. c. l.* satis ostendit. Neque major Civibus inter se securitas, quod itidem pluribus *cit. S.* argumentis *Pufendorfi* docet. Quamobrem cùm ex his constet, necessarium profus, idque firmissimum socialitatis vinculum, religionem esse, inde apparet, seridò omnes *Atheismo* vias obstruendas esse; & illa Reipubl. carcinomata, eos dico, qui tam impias & perversas sententias fovent, excindenda esse, ne pars sincera trahatur. *Νόσος δὲ μεγάλη ψυχῆς ἀθεότης, ἔπειτα δόξα εἰς πάντα τὰ κακὰ ἐπακολουθεῖ, καὶ ἀγαθὸν ἔδδν.* Magnus animi morbus est impietas; quoniam illam opinio & inclinatio ad omnia mala sequitur; boni autem nihil. *Hermes cap. 12. vid. J. Lips. Polit. L. 1. c. III. 11. Laëtant. Lib. 5. Instit. c. 8.* Ideò, inquit, mala omnia rebus humanis cottidie ingravescere; quia *DEUS* mundi hujus effector & gubernator derelictus est; quia suscepta sunt contrà, quàm fas est, impia religiones, Quod oraculum est avo hoc pruriente.

FINIS.

XI, A.



XI, A.

